

00 111.





L. Kertzmann.

# ARTICULI

Qui in Visitatione generali Dioecesis Posnaniensis examinabuntur  
et super quibus tempestivè unusquisque visitandorum paratam  
informationem conficere obligatur.

**E**ccllesia N. N. Villae aut Oppidi aut Civitatis N. N. an murata an lignea?  
 Cujus formae? a quo erecta, et an de literis erectionis constet? an conse-  
 crata? et an de consecratione, sive die dedicationis, aut per monumentum ali-  
 quod, aut solum per non interruptam traditionem habetur notitia? an solum  
 modo sit benedicta?  
 Quis sit hujus Ecclesiae S. Patronus?  
 Quae Parochiae ei sunt limitrophae?  
 An sit Matrix aut alii Ecclesiae unita?  
 Quot et quae Villae et Oppida ipsius curae animarum subsint?  
 Quae et quot Personae ad Communionem Paschalem in ea reperiantur? et  
 an omnes huic Obligationi satisfacere soleant? et hoc anno satisfecerint?  
 Quis reliquarum animarum in ea Parochia sit numerus, distincte specifi-  
 cando eum, Catholicos scilicet, ab aliis diversam religionem profitentibus?  
 Quot miliaribus in longum et latum sit Parochia distensa? cura animarum  
 penes quem sit?  
 An in Ecclesia Confraternitas aliqua instituta sit, a quo et a quibus tempo-  
 ribus, an in ea sint aliqua Statuta praescripta, a quo approbata, an debite obser-  
 ventur?  
 Ad quid et qua ratione illius proventus aut collectae pecuniae impendan-  
 tur? quis ejus Promotor?  
 Reliquiae utrum sint Authenticae, et Salvis Sigillis ac autoritate ordina-  
 ria admissae?  
 An indulgentia altaris (ut dicitur) privilegiati, pro eliberatione animarum  
 concedi solitae, sint procuratae et in altari (specifice in relatione, cui applicatae  
 nominando) appensae extant?  
 In quo statu sit ipsius Ecclesiae fabrica seu structura? an parietes, pari-  
 mentum, tabulatum, fenestrae, januae et caetera similia, eo quo decet modo,  
 et prout necessitas, exigit se habeant?





**W woluminie kolejno współprawne sygnatury:**

# **Odręczny spis treści**

**241995 III**

**241996 III**

**241997 III**

BIBLIOTEKA GŁÓWNA  
UNIWERSYTETU POZNAŃSKIEGO



241995-7

Wypożycza się  
tylko do czytelní

IIA  
57



00 M.

Kodeks ten zawiera


6 części M.

VI 115, a. b. 5662

Inhalt: Synodale

1. Ignacy Natęca Racynski biskup Poznański i Warszawski:  
wszystkiemu duchowieństwu i wszystkim wiernym  
błogosławieństwo pasterkie, Poznań 1796
2. Articuli qui in visitatione generali diocesis Posnaniensis  
examinabuntur, Posnaniae 1809.
3. Publicandum betr. das bisherige Verfahren bey Ertheilung der  
Erlaubnis-Scheine zum Eintritt in die Klöster. Posen 1815.
4. Solemnitas inauguralis novae aedium archidiocesan-  
seminarii Posnaniensis. P. 1896.





co. 84.

2

VII. 115



L. Kurtzman.

# ARTICULI

Qui in Visitatione generali Dioecesis Posnaniensis examinabuntur  
et super quibus tempestivè unusquisque visitandorum paratam  
informationem conficere obligatur.

**E**cclēsia N. N. Villae aut Oppidi aut Civitatis N. N. an murata an lignea?  
 Cujus formae? a quo erecta, et an de literis erectionis constet? an conse-  
 crata? et an de consecratione, sive die dedicationis, aut per monumentum ali-  
 quod, aut solum per non interruptam traditionem habetur notitia? an solum  
 modo sit benedicta?  
 Quis sit hujus Ecclesiae S. Patronus?  
 Quae Parochiae ei sunt limitrophae?  
 An sit Matrix aut alii Ecclesiae unita?  
 Quot et quae Villae et Oppida ipsius curae animarum subsint?  
 Quae et quot Personae ad Communionem Paschalem in ea reperiantur? et  
 an omnes huic Obligationi satisfacere soleant? et hoc anno satisfecerint?  
 Quis reliquarum animarum in ea Parochia sit numerus, distincte specifi-  
 cando eum, Catholicos scilicet, ab aliis diversam religionem profitentibus?  
 Quot miliaribus in longum et latum sit Parochia distensa? cura animarum  
 penes quem sit?  
 An in Ecclesia Confraternitas aliqua instituta sit, a quo et a quibus tempo-  
 ribus, an in ea sint aliqua Statuta praescripta, a quo approbata, an debite obser-  
 ventur?  
 Ad quid et qua ratione illius proventus aut collectae pecuniae impendan-  
 tur? quis ejus Promotor?  
 Reliquiae utrum sint Authenticae, et Salvis Sigillis ac autoritate ordina-  
 ria admissae?  
 An indulgentia altaris (ut dicitur) privilegiati, pro eliberatione animarum  
 concedi solitae, sint procuratae et in altari (specifice in relatione, cui applicatae  
 nominando) appensae extant?  
 In quo statu sit ipsius Ecclesiae fabrica seu structura? an parietes, pari-  
 mentum, tabulatum, fenestrae, januae et caetera similia, eo quo decet modo,  
 et prout necessitas, exigit se habeant?

241995m

An domus Parochi et reliqua aedificia ad ipsius Ecclesiam spectantia, sint in statu bono, aut ruinoso, aut optimo vel mediocri?

Portae et porticus quot et quomodo claudantur?

Tectum et turricula cum campana super Ecclesiam, suntne integra, et qualia, an tegulis, an laminibus ductilibus, aut cupro, aut scandulis ligneis cooperta?

Campanile quale, et in qua parte Ecclesiae situm, quot campanas continet, utrum consecratas?

Caemeterium an sit septum, et ita clausum bene teneatur, ut in illud animalibus aliquando non pateat aditus?

An in eo nundinae aut mercatus haberi non soleant?

Ossarium an sit et quale?

Domus et aedificia Vicariorum, Praebendariorum, Capellanorum, et aliorum in hoc loco manentium Presbyterorum aut qui ex fundatione manere deberent. Singula quomodo et ubi sita, per quem exstructa, et an non desolata, et quisnam praeter Rectorem ad eorum reparationes, nec non ipsius Ecclesiae, ac aedificiorum Parochialium teneatur?

Altaria quot et an consecrata, et an eadem sive in Stipite sive (ut vocantur) portatilia in hac Ecclesia sint integra et salvis reliquiarum sigillis? an tribus ad minimum Mappis teguntur, an imaginibus sat decenter depictis ornantur, utrum earum aliqua non sit gratiosa et a quo protali recognita?

Praebendae et Capellae ac alia Beneficia intra hanc Ecclesiam, si quae sunt, quorum Sanctorum, quomodo dotata, a quo erecta, qui eorum Patroni, quae obligationes illorum an iisdem satisfiat?

Officium sive (ut vocatur) Cursus B. V. MARIAE anniversariaque aliqua, an sint, aut aliae piae fundationes, et quae an executioni demandentur?

An sit inventarium rerum sacrarum, tam Ecclesiae ipsius quam Capellarum singularum, aut altarium nec non librorum?

In quo statu Chorus, Organum, Sacristia, Reconditorium? si qui sunt Ecclesiae et in quo numero?

An fons baptismatis prout convenit, sit instructus, et debite clausus?

An Parochus libros teneat, in quibus nomina sacro fonte ablutorum ac eorum, qui ex hac vita decedunt, aut qui Matrimonio junguntur, describat?

Olea sacra unde, quomodo asservantur, an in vasis decentibus, an in loco tuto et convenienti, et an hoc anno procurata?

An decreta visitationum, seu (ut vocant) reformationum, Ordinationes, processus et instrumenta publica, per Dioecesim transmitti solita, vel in aliquo libro conscripta, aut in simul collecta teneantur?

An sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in tabernaculo decenti et diligenter clauso asservatur?

An pyxis in quo asservatur sit argentea, aut stannea intus deaurata, aut saltem in mense bis renoveatur species, pyxis debite purificetur?

An alia etiam pyxis vel vasculum argenteum seu stanneum, intus deauratum et consecratum pro eo et oleo sacro ad infirmos deferendis habeatur?

Lampas an continuo die ac nocte, aut saltem aliquando, aut raro ante Sanctissimum ardeat: si ardeat, cujus sumptu comparatur?

Inventarium locale Beneficii ad rem oeconomicam spectans, an et quale reperiatur? in quo consistat, et an illud modernus Beneficiatus conservat?

Praedia, Villas et subditos, quot et quos aut quae, ac in quo loco habeantur?

Agri, horti, Areae, prata ipsius, quot ubi sita, quomodo protensa, quot Mansos, aut jugera efficiant?

Sylvas, stagna, piscinas, molendina et propinationem an habeat?

An censum decimarum tam manipularum, quam in pecunia persolvi solitarum, nec non aliarum pro piis fundationibus destinatarum, in qua Summa, vel in qua specie frumenti percipiat, ex quibus bonis et agris, an in perceptionis pacifica in toto, aut in parte sit possessione?

An aliquae decimae ad Episcopalem Mensam Nostram spectantes in hac Parochia sint, et utrum reddantur vel solvantur?

Ecclesia an habeat pro fabrica, aut in usus alios, destinatos redditus?



1954 Da. 3384

An legatorum ac aliorum pro Ecclesia perceptorum et expositorum habeant, et exacte conscribantur rationes?

Carbona seu ladula Ecclesiae an sit sub cuius clavi, in quos usus convertitur collecta pecunia?

An sint aliqui selecti, Victrici, seu insigniores Parochiani ex Villis aut Oppidis quibus de proventibus Ecclesiae constet?

An super proventibus ad Ecclesiam hanc Parochialem qualiscunque generis pertinentibus habeantur, liquida et indubia jura; aut per possessionem, aut praescriptionem tantum probantur, aut etiam per praesumptiones validas solum deducuntur, aut deduci possunt? Si per Visitationes antiquas probantur, decreta harum Visitationum quibus juribus inittuntur, an documentis authenticis, an possessioni et praescriptioni, aut solummodo allegationibus et testimoniis fide dignarum personarum?

Quis est Parochus, an resideat, ejus nomen, aetas, patria, a quo tempore ad Sacerdotium promotus et ad Parochiale Beneficium institutus?

An alia plura Beneficia incompatibilia et praecipue Curata, in hac vel in alia Dioecesi possideat? an dispensationem super hoc obtinuerit, haecque executata sit, an eandem penes se habeat?

An per se vel alios, et quos vel Saeculares vel Regulares Presbyteros diebus Dominicis concionetur et catechiset, vel saltem unum ex istis praestet?

An penes hanc Ecclesiam, an alibi infra fines Parochiae Sacerdotes et Clerici degant? eorum omnium specificè denotandum nomen, aetas, patria, tempus Ordinationis, quomodo se gerant utrum non scandalose vivant, qualem familiam praecipue Presbyteri conservant, et quam numerosam, et an honestam?

An ii, quibus cura animarum incumbit Sacramentis administrandis sedulos se et diligentes praebeant, praesertim erga aegros, an aliquis illorum absque Sacramentali Confessione, aut Communionem, aut extrema unctione ipsorum culpa ex hac vita decesserit?

An Missae Conventuales, ac alia officia divina et devotio diebus festivis, hora competente debite celebrentur, quid et quo ordine peragantur? Si autem ea omnia vel aliqua ex his non adimplentur quorum culpa, aut respectu id fiat?

An omnes ii qui Confessionibus audiendis et Sacramentis administrandis vacant, necessarias approbationes et facultates habeant?

An titulo jurium stolae aliquae depactiones non committantur?

An sint intra Parochiam aliqui ludi magistri, aut aliae personae, qui pueros doceant, et quales illi sunt, an Laici, an Ecclesiastici, an officio suo rite defunguntur? An puellae scholas ipsorum simul cum pueris adeant, aut separatas habeant?

An intra fines Parochiae sint aliqui Conventus aut Domus Religiosorum, aut quorumcunque aliorum in communi viventium, aut Monasteria Monialium, et cujus jurisdictioni subsunt?

An sint in dicta Parochia aliquae obstetrices? an tales, quales esse convenit ad vitam et mores, an sciant, quid sit necessarium ad baptismum in casu necessitatis administrandum?

An intra eosdem fines sit aliquod Xenodochium seu Hospitale cum sua propria Capella sive Ecclesiastica, et quale, pro quot personis, utrum Viri a Mulieribus sunt separati, quo fine institutum, quinam sunt illius annui redditus, unde proveniunt, a quo et an debite et fideliter administrantur? an Calculum et cui de perceptis et expensis faciant, an sit distinctus, Praepositus aut Capellanus, et quomodo vocentur an inventarium hujus hospitalis, et ipsius Ecclesiae reperitur et quale?

Oratoria sive Capellae publicae distinctae ab Ecclesia Parochiali, quot et quae, an consecratae, et a quo, qui eorum Patroni et Capellani, quae dos et supellex?

Pariter an Oratoria privata sint in Aulis Nobilium ornata, et an ad hoc, et a quo indulta sua habeant, an in illis Missae Sacrificia celebrentur? An nulli inde fiant abusus et praejudicia Ecclesiis Parochialibus?

An Dissidentes a Religione sint in hac Parochia, et in quo circiter numero?

An Ecclesiam vel Oratorium suum et Caemeterium habeant, an Ministrum suae Religionis foveant?

An Judaei sint in Parochia, an habeant Synagogam et Caemeterium, ubi et a quo tempore, de cujus Consensu, an eis serviant Christiani?

An intra fines Parochiae sint aliqui publici peccatores et scandalosi homines, aut aliquae superstitiones exercentur, praecipue tales, ex quibus non exigua oriantur scandala?

Super quibus omnibus quilibet Rectorum Ecclesiarum Parochialium, et omnes generaliter Beneficiati, tam quo ad Ecclesias suas principales seu matrices, quam etiam filiales sive unitas, exactam informationem in scripto conficiant, eamque Visitatori in suo accessu ad Ecclesiam adhibeant, et deinde justificent. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas Sigillo Nostro communiri jussimus.

Datum in Palatio Nostro ad Ecclesiam Cathedralem Posnaniensem Die 12. Mensis Octobris Anno Domini 1809.

TIMOTHEUS EPISCOPUS.



BLASIUS BAGNOWSKI,

*Cancellariae Curiae Episcopalis Posnaniensis  
Vice-Regens. mppr.*

